



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 90. Selimi Turcarum Imperatoris obitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

S. XC.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.*Selimi Turcarum Imperatoris  
obitus.*

Postquam Selimus Turcarum Imperator  
Tonumbejo Ægypti Sultano Cairum  
eripuisse, Constantinopolim reversus, pe-  
stilentii carbunculo ei nato circa renes  
correptus fuit; cum vero se Adrianopo-  
lim deferri juberet, ac mitioris aeris be-  
neficio in hac urbe sanitatem recuperare  
speraret, apud Ciurlum Thraciæ oppidum,  
ubi olim cum Patre conflixerat, eundem-  
que veneno necaverat, in itinere ex-  
tinctus est; cum imperasset annis octo,  
ac vixisset circiter quadraginta sex. Fuis-  
se illum hominum crudelissimum, non so-  
lum ex iis, quæ in Patrem, fratres ac  
Nepotes suos commisit, perspectum ha-  
bemus, verum etiam ex cæde hominum  
omnem prope numerum excedentium,  
quos inter non paucos, qui etiam præmia  
merebantur, e medio sustulit. Quin imo  
referunt nonnulli, quod unicum, quem  
habuit filium Solimanum, etiam veneno  
necare tentasset, abs dubio veritus, ne  
id subire cogeretur ab eo, quod ipse in  
Patrem suum sceleratissime præstiterat.  
Ceterum Selimus, si ipsius crudelitatem  
excipias, militari fortitudine, constantia  
in consiliis, quæ semel conceperat, exe-  
quendis,

Leuncl. l. 17.  
Et Pandect.  
S. 215.Paul. Jov.  
in Selim l. 24.  
Contin. Chal-  
condyl.

Sæcul. XVI  
A.C. 1520  
quendis, prudentia in regendis populis,  
ac temperantia in vitæ suæ ratione ex-  
celluit.

## §. XCI.

*Solimanus II. Successor, ac Turcarum  
Imperator.*

*Paul. Jov. ib.*  
*Leuncl. l. 17.*  
*Bosius hist. Hospit. tom. 2. lib. 18.*  
*Thomas*  
*Artus contin. Chalcond.*  
*Raynald an. 1520. n. 86.*  
Fuit autem Selimi obitus Christianis ubique gratissimus, non solum ex eo, quod soluti viderentur terrore ejus armorum, verum etiam quod Filium Solimanum relinqueret Successorem rerum satis imperitum, & miti ac placido, ut ferebatur, ingenio præditum. Ea tamen in re quantum decepti fuerint, res ipsa postmodum ostendit: Ipse enim merito præclarissimis Turcici Regni Sultanis accensendus, gravia adhuc Christianæ Religionis damna inferebat. Hunc Selimus susceperat ex Bosphorani Regis de Circassa stirpe oriundi filia: tum annum ætatis circiter trigesimum agebat, cum a Ferhate Bassa, qui solus Selimo morienti adstiterat, de obitu patris Manissæ, quæ Joniæ urbs est, certior redderetur, ipse vero fraudem a patre suo adornatam subesse veritus, non ausus est loco se movere, donec a ceteris quoque Bassis de viso Selimi corpore exanimi certus omnino fieret. Tum vero protinus Constantinopolim accessit, ubi ante omnia funeri pater-